agnus attigit etc. Deinde cantavimus: Christum hodie in Jordane baptizatum etc. Sic tamen ad verbum: hodie non cantavimus, sed loco ejus cantavimus: hoc loco in Jordane baptizato Domino etc. Creditur enim, hoc in loco Dominum baptizatum fuisse a Johanne. Ad cantum autem nostrum omnes peregrini, qui dormiebant in arundinibus, excitati fuerunt et accurrerunt ad nos. Sed et Sarraceni excitati stabant supra et deorsum [et] ad nos respiciebant. Postquam autem cantavimus ea, quae in processionali praescripta erant, in terram cecidimus et sacram humidam humum deosculati sumus et indulgentias plenariae remissionis accepimus (††). Et aliquamdiu in oratione permansimus, quia dominica dies erat, nec Missam audituri eramus, non ex negligentia, sed ex impossibilitate, quae etiam excusat a peccato transgressionis.

De balneatione peregrinorum in Jordane, et de tribus prohibitionibus eis datis.

Finitis orationibus deposuimus vestimenta nostra, ut in sacro flumine lavaremur. Hoc cum vidissent nostri ductores, admiserunt quidem lotionem, sed tria prohibuerunt nobis: I. quod nullus deberet transnatare ad aliud littus; II. quod nullus sub aquis deberet se immergere; III. quod nullus deberet sumere de aqua illa in vasculo ad portandum secum per mare in terram suam. Ratio primae prohibitionis fuit, quia communiter transnatantes vel aliquis de ipsis periclitatur et nunquam omnes transnatantes redeunt sine aliqua perturbatione. Ratio secundae est, quia fundus Jordanis est limosus, et submittens se posset infigi limo et necari. Et cum hoc venenosae bestiae in fundo serpunt, a quibus homo posset retineri vel laedi vel veneno infici. Ratio tertiae prohibitionis est, quia navigatio illarum navium improspera est, in quibus aqua Jordanis transducitur, ut marinarii saepe experti sunt. Quid veritatis jam dicta habeant (**196 A**) in processu patebit. Igitur cum nudati essemus, flumen sanctum ingressi sumus, et in nomine Domini sacrae undae nos immersimus. Aliqui autem milites nihil de omnibus suis vestimentis deposuerunt, sed sicut in asinis sedebant, ita in aquam se immergebant, dicentes, se semper in illis vestimentis magis fortunatos futuros. Unde

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-3;